

EPISTULA LEONINA

CLXXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CLXXVII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDEOCTOGESIMAM (179) !

ARGUMENTA

FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN ACUS etc.....	03
CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....	04
FABELLA GRIMMIANA: De Margaritulâ callidissimâ.....	05-08
DOMNULA TRUDA (Carmiggelt/Knijff).....	09-11
DE VITA ET METHODO IOHANNIS H. ØRBERGII.....	12-23

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam
undeoctogesimam (179). De hac Epistulâ tibi missâ
maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem
gaudio fore!*

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Dominicâ, 21. m.Oct., a.2018



ΕΥΚΟΠΩΤΕΡΟΝ ΕΣΤΙΝ ΚΑΜΗΛΟΝ
ΔΙΑ ΤΡΥΠΗΜΑΤΟΣ ΡΑΦΙΔΟΣ
ΔΙΕΛΘΕΙΝ Η ΠΛΟΥΣΙΟΝ ΕΙΣΕΛΘΕΙΝ
ΕΙΣ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ.

**FACILIUS EST CAMELUM PER
FORAMEN ACUS TRANSIRE QUAM
DIVITEM INTRARE IN REGNUM DEI.**

MATTHAEUS 19,24. εύκοπώτερόν ἐστιν κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν ἢ πλούσιον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

cfr MARCUS 10,25: εύκοπώτερόν ἐστιν κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν.

cfr LUCAS 18,25: εύκοπώτερόν γάρ ἐστιν κάμηλον διὰ τρήματος βελόνης εἰσελθεῖν ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν.

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

SUFFRAGIA BAVARICA

GA **V**DE **M**MATER BA **V**ARIA

SOE **D**ER ET SEEHOFER **I**NER **I**ORES
ABE **V**NT

INDONESIA

VBI **T**V ERAS **D**E **V**S

OB **D**ORM **I**ST **I**NE

Wo warest du, Gott? Bist du eingeschlafen?

TERRA RAB **I**T

AQ **V**A SAE **V**IT

DE **V**S **D**ORM **I**T

Die Erde rast, das Meer wütet, Gott schläft.

Hannes Demming haec chronogrammata fecit

FABELLA GRIMMIANA

77. Margaritula callidissima



LABBE'

Aliquando fuit coqua, nomine Margaritulæ, quæ gerebat calceos fulmentis rubris instructos, et cum iisdem induta domo exibat, huc illuc se vertens perquam laeta cogitabat: »Heus quam bella puella sum«. Cum domum veniebat, laetitiae causâ guttam vini bibebat, et quia vino excitatur cupiditas comedendi, hæc puella optimos cibos, quos coquebat, tam diu gustabat, usque dum satura esset, et: »Coqua« inquit, »oportet sciat, cena quomodo sapiat«.

Factum est, ut dominus ei diceret: »Margaritula, hodie vespere veniet conviva, gallinas præpara duas diligenter«. Tum Margaritula respondit: »Quod faciam, Domine«. Nunc gallinas mactavit et aquâ fervidâ perfudit et vellicavit et verui affixit, et, cum advesperasceret, ad ignem attulit, ut assarentur. Gallinae autem colorabantur et mollescebant, sed conviva nondum venerat. Tum Margaritula domino acclamavit: »Nisi conviva veniet, necesse est me gallinas ab igne remove, at plurimum dolendum est, nisi mox comedentur, dum sunt sucosissimæ«. Tum Dominus: »Ergo« inquit, »ipse abibo, ut convivam adducam«. Dominus cum abiisset, Margaritula gallinas verui affixas aspectans cogitavit: »Si quis tam diu ad ignem stetit, sudat et sitit, quis scit, quando illi venturi sint; interim ego in hypogeum properabo et sumam haustum vini«. Tum puella decurrit et urceum sumens: »Deus« inquit, tibi hoc vinum benedicat, Margaritula«, et bonum haustum sumpsit. Pergit autem secum loqui:

»Vinum cum vino cohaeret nec bonum est unum ab altero abrumpere«
et alterum sumpsit haustum gravem.



Nunc puella gallinas denuo igni imposuit, butyrum illevit, veru laetê circumvertit. At assum cum bellissimê fragraret, Margaritula cogitavit: »Quia nescio an quid gallinis desit, gustandae sunt!« et digito abligurrito: »Babae, quam sapidae sunt istae gallinae; infame atque indecorum est eas non statim comedere«. Deinde puella ad fenestram cucurrit, ut videret, num tandem dominus cum convivâ venturus esset, sed vidit neminem; denuo apud gallinas stans cogitavit: »Cavendumst haec ala ne comburatur; melius est me eandem comedere«. Ergo alam desectam comêdit, et eadem Margaritulae sapuit; eâque comesâ puella cogitavit: »Altera oportet etiam desecetur, ne dominus animadvertat aliquid deesse«. Ambabus alîs comesis Margaritula ad fenestram reversa vidit, num dominus venturus esset, nec illum conspexit. Tum aliud ei in mentem vênit: »Quis scit« intra se cogitavit »fortasse illi omnino non venient, sed aliquam ad cauponam deverterunt«. Tum puella dixit: »Eia, Margaritula, bono animo sis, una gallina iam est adesa, tertium haustum sumas et

gallinam comedas reliquam, gallinâ absumptâ quiescas; quidnam causae est, cur hoc donum divinum perdatur?« Ergo puella iterum in hypogeum cucurrit, haustum sumpsit honestum, gallinam comêdit laetissimê. Gallinâ degluttitâ, domino adhuc absente Margaritula alteram aspiciens gallinam: »Ubi una est« inquit, »oportet sit etiam altera, istae inter se congregandae sunt; id quod unam decet, decet quoque alteram; puto mihi haud malum mihi fore haustum additum«. Ergo novo haustu alacriter sumpto unam gallinam iussit currere ad alteram.



Puella cum modo erat dedita alteri gallinae comedendae, tandem vênit dominus vocans: »Propera, Margaritula, conviva est venturus«. Puella autem respondit: »Bene, Domine, iam cenam praeparabo«. Dominus interim vidit, num mensa bene esset oblecta, magnum cultrum sumpsit, quo gallinas erat dissecturus, et in androne eundem acuit. Interim conviva vênit, modestê atque urbanê ianuam pulsavit domesticam. Margaritula ad ianuam cucurrit visum, quis adesset et cum videret convivam, digitum ori appressit et dixit: »Tace! Tace! Fac ut abeas quam celerrimê, si dominus meus te arripuerit, eris miserrimus; qui tibi invitavit, ut secum cenares, sed reverâ nihil in animo habet nisi tibi desecare utramque aurem. Nonne audis eum cultrum acuere?« Conviva ubi primum audivit cultrum acui, per scalas descendit quam celerrimê. Margaritula autem haud impigrê ad dominum cucurrit clamans: »En convivam invitasti sanê bellulum!« »Quatenus, Margaritula? Quidnam dicis his verbis?« Tum Margaritula: »Audi bene« inquit, »domine!



Iste ambas gallinas, quas modo eram appositura, e patinâ abstulit et cum iis aufûgit«. Deinde dominus: »Facinus indignum!« dolens perditas esse bellulas gallinas, »utinam unam saltim mihi reliquisset, ut remaneret, quam comederem«. Itaque vocavit post convivam, ut maneret, sed is simulavit se non audivisse. Tum dominus convivam persequens cultrum adhuc manu tenens clamavit: »Unam tantum! Unam tantum!« Quibus verbis convivam voluit rogare, ut sibi relinqueret unam tantum gallinam, ne auferat ambas; at conviva cum crederet se moneri, ut daret unam tantum aurium suarum, currebat quasi igne adureretur, ut domum ferret aurem utramque.



FABELLAM GRIMMIANAM,

C.T.

Das kluge Gretel

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

DOMNULA TRUDA¹

*Narratiuncula Amstelodamensis a Simone Carmiggelt narrata,
a Johanne Knijff in Latinum versa.*

Post meridiem cum uxore villulam quam aliquamdiu mutuabar relîqui birotâque vectus exivi in campos silvasque. Post horam descendimus ad popinam amplissimam iuxta magnam viam sitam, quo homines ex urbe raedis vecti venire solent multum quondam comesum. Area stativa prorsus plena fuit, res mediâ septimanâ inusitata, quae autem intransibus statim explanabatur. Nam in mediâ popinâ videbatur mensa longissima ornata velut festo die tricliniumque scatebat viris vestibus nigris mulieribusque talaribus indutis qui omnes gerebant ornamenta chartâ argenteâ involuta.

Minister triste, “Quinquagesimum,” inquit, “nuptiarum anniversarium. Mox accubituri sunt. Cena septem ferculorum,” quasi aegritudinem describeret graviolem.

Non antequam ambulavi ad cellam telephonicam coniuges vidi cominus – mulierem regali magnificentiâ ornatam stolâque indutam festivâ, virum Phaeacem crassum delabentem. Domnum domnam *Boerwinkel* esse tum demum animadverti. Quodque peius – îdem me animadvertere animadverterunt.

Iam aperiebatur in trium nostrum memoriâ fenestrula, quâ fenestrulâ prospiciebat domnula Truda. Multos ante annos eadem habitaverat cubiculum in domo nostrâ, quod ei commodaveram, quod pecuniâ mihi opus fuerat. Iam plus triginta habebat annos munereque fungebatur apud cursûs publicos. Non erat formosula, viro autem fuisset gemma, nam cor prorsus bonum erat ei necnon insatiabile desiderium annihilandi sese sacrificandique. At viri Xanthippes malunt venerem. Qua re factum est, ut domnula Truda primum amasio careret, sed quodam die tramine vecta occurrit domino *Boerwinkel*, qui iam circiter *Zeist-Driebergen*² explanaverat se ab uxore non intellegi. Domnula Truda valdê cum eo consensit postque paucas

¹ “Juffrouw Truus” (1961).

² Statio ferroviaria non procul a Traiecto ad Rhenum sita.

septimanas erubescens vênit ad nos rogatum, num domino *Boerwinkel* pernoctare liceret nonnunquam.

Non negavimus.

Nam tales sumus homines.

Tantum vênit ille nebulâ excusationum cinctus, cum uxor putaret eum procul iter facere negotiorum causâ, botone tintinnabuli culpabili frequentiâ impresso fauces properiter perambulabat, vir haud dubiê ad peccatum properans. Domnula Truda tali vespere tam abundê myro¹ sese aspergebat, ut voluptates eius etiam in viâ sentirentur, eademque cubiculum tam venustê illuminabat, ut diem Christi natalem adesse putares.

Uxor autem domini *Boerwinkel* non erat stulta. Experimentiâ vexata usque diffidebat maritum foris se continere in virili libidine eumque investigabat. Igitur quodam die domnula Truda confusa vênit ad nos narratum dominam *Boerwinkel* de se certiolem esse factam.

“Ille nimirum planê negavit,” inquit. “At illa ei non credit vitamque eius reddit molestam. Scito eam cottidie platessam ei apponere, quod ei est molestissimum. Una tantum est ratio, quae autem auxilium postulat vestrum.”

Ratio talis ferê fuit.

Paulo post dominus *Boerwinkel* vesperi apparuit uxore comitante. Ianuam aperui. Ille sic orsus est: “Mi domine, de re mirâ interrogatum venio. En uxor mea, quae stultê censet me habere coniunctionem cum

¹ **myron**, -ī n. fr. *parfum*. cfr *Fragrantia. Historia homicidae. Fabula romanica quam theodiscê scripsit Patricius Süsskind*, in *Latinum convertit Nicolaus Gross*, Editio tertia in domo editoria, quae appellatur Leo Latinus, Senden in oppido Bavariae Suebicae a.2014, p.6: Praefatio editionis primae: "...Unguenta aetate antiquâ erant substantiae fragrantis aut cerae aut adipi aut oleo similes, quibus cutis corporis unguebatur decoris aut valetudinis causâ. Sed nomen modernum, quod est *parfums*, non spectat ad substantias adipi similes, i.e. solidas, sed ad liquores subtiles et volatiles, qui facillimê guttis minutissimis possunt per âera dispergi. Tales liquores novâ demum aetate inventi esse videntur, quod fieri potuit adhibito alcohole, i.e. spiritu vini subtilissimo...Ad notionem denominandam hîc adhibeo verbum Graecum τὸ μύρον, praesertim cum sermo Graecus aetate antiquâ (sicut novâ aetate sermo Francogallicus) fuerit sermo elegantiarum. Cicero in epistolâ ad Atticum scriptâ (1,19,2) affert locutionem Graecam, quae est τὸ ἐπὶ φακῆ μύρον, i.e. ad verbum: *unguentum in lente*, quod valet rem pretiosam adhibere ad rem vilissimam".

quadam muliere, quae habitat in domo tuâ, meque saepius huc venire. Te rogo, virum honestum – mene unquam antea vidisti?”

“Nunquam,” respondi.

Sic enim conventum erat cum domnulâ Trudâ, quae postea et ipsa vênit ad ianuam. “Illam mulierem non nôvi, Maria,” exclamavit voce sonorâ dominus *Boerwinkel*. “Tuque, dominula – mene novisti?” “Minimê,” voce parvulâ domnula Truda.

Talis erat vesper, quo, ut ait *Tsiechov*, facilius crederes universum mundum situm esse in dente cavo alicuius monstri. Oppositione peractâ dominus *Boerwinkel* minus frequenter veniebat. Cum ei in faucibus occurrebam, plerumque “Cautê... cautê...” dicebat mollemque tollebat maniculam. Tum evanescebat in nubem myri fragrantissimam.

Minister collegae “Accumbunt,” inquit. “Licet poculum iure testudineo plenum apponatur.” Ex longinquo dominus *Boerwinkel* somniator videbatur dissolutus. Exstinctus erat.

HANC FABULAM
AMSTELODAMENSEM
CONSCRIPSIT

SIMON CARMIGGELT
(1913-1987)
BATAVUS



IN LATINUM CONVERTIT
IOHANNES KNIJFF

cfr EL 171, 09-11: ADVENTORES (*Carmiggelt/ Knijff*).

DE VITA ET METHODO

IOHANNIS H. ØRBERGII (1920-2010)



<https://www.youtube.com/watch?v=iFKbhqTPjjQ>

vivariumnovum YouTube - 01.07.2011

»Rōma in Italiā est. Italia in Europā est. Graecia in Europā est. Italia et Graecia in Europā sunt. Dānia quoque in Europā est. Ubi est *Andst*? *Andst* in Dāniā est. *Andst* est oppidum dānicum«.

Hōc in oppido seu viculo natus est *Iohannes* ille *Ørberg* nonaginta ante annos, qui nunc temporis linguarum peritus atque magister ubique terrarum magnā famā pollet.

Is enim est auctor librorum, quibus index est «Lingua Latina per se illustrata». Quos libros discipuli atque magistri quinquaginta iam annos toto in terrarum orbe crebrius crebriusque adhibere solent. Neque immerito. Nam his libris qui utuntur, eis brevissima ac valdê iucunda patet via ad linguam Latinam plenê penitusque ediscendam. Legere, agere, loqui neque convertere umquam – haec sunt principia huius methodi, quâ sermo secundum naturae rationem dicitur esse exercendus. Quam docendi viam *Arthurus* ille *Jensen* vir Danus excogitavit. Quo autem modo talis viva ac vivida ratio ad linguas quoque illas, quae mortuae dicuntur, atque imprimis ad Latinam linguam aptari posset, Iohannes Ørberg invênit. Quod in opere eius palmari, cui titulus est *Familia Romana*, propius mox perspiciemus.

At primum exhibeatur ipse auctor. *Iohannes Henning Ørberg* anno 1920 natus est in parvo viculo Danico, cui nomen est *Andst*. Adhuc puer ad medii ordinis scholas aggrediendas a patre Hauniam in Daniae caput missus est. Iam iis annis litterarum linguarumque studio magnopere alliciebatur, donec tandem facultati litterarum in urbe eâdem nomen dare potuit. Laureata corona de linguâ anglicâ, gallicâ et Latinâ tandem impetratâ, cum post universale bellum alterum munus invenire aegrê posset, ut magister suffectus victum sibi comparare debebat. Mox vero *Arthurum* illum *Jensen* convênit eiusque in instituto, quod ad linguas secundum naturam docendas erat conditum, munus obtinuit discipulorum linguae anglicae pensa corrigendi. Quodam autem die mirum aliquid ei in mentem vênit. Quidni sermo quoque Latinus ad vivam hanc methodum adaptari posset? Primis conscriptis adumbrationibus propositum a *Jensen* accipitur. Sic orta est *Familia Romana* eo tempore, quo ipsi Ørbergio iam uxorato liberi fuerunt tres. *Iohannes vir Danus est. Elisabetha femina Dana est. Stephanus est puer Danus. Andreas quoque puer Danus est. Catharina est puella Dana. Iohannes, Elisabetha, Stephanus, Andreas, Catharina sunt familia danica.*

Sic videlicet Iohannes Ørberg ex verâ vitae suae vitae materie historiam fabulosae familiae scribere orsus est. Nec multa post capitula tale colloquium inter maritum et uxorem audi: *O Aemilia! Mox parvulum filium habebimus*“. *Aemilia: „Filius? Iam duos filios habemus. Ego alteram filiam habere volo. Plures quam duos filios*

nolo. Cur tu filium habere vis, Iuli? Nonne laetus eris, si filiolum habebis? Num parvulam filiam minus amabis quam filium?

Neque tamen ante libri finem nascitur infans, qui talem persolvat quaestionem. Qui autem post aliquot menses Iohannem ipsum interrogaverunt, illis firmiter hic obtestabatur Aemiliam infantes geminos demum peperisse, et eos quidem mares. Nam ita sibi factum est, cui filii duo sunt nati, Iosephus atque Ianus. Iis ipsis mensibus Ørbergius primum perfecit librum. Proximis annis alterum huic adiecit volumen, quo tamen non amplius perrexit illius familiae Romanae fingere historiam. Hôc enim libro, qui *Roma Aeterna* inscribitur, res gestas Romanorum Urbisque historiam ex locis scriptorum poetarumque Romanorum scitê electis componere coepit. Annis insequentibus familia Ørberg in oppidum *Grenâ* lares suos transtulit ibique paterfamilias per triginta ferê annos magistri munere in quodam lyceo functus est. Hôc spatio temporis neque libri eius Latini tam multum erant divulgati; ultimo vero praeteriti saeculi decennio Iohannes Ørberg iam rude donatus vetera sua scripta resumpsit, quae sui ipsius domo editoriâ, cui nomen *Domus Latina*, hîc illîc retractata denuo in lucem edidit. Quosdam praeterea auctorum Romanorum locos seu parva opuscula ipse ad huius cursûs Latini varios gradûs accommodavit, necnon librorum auxiliarium uberem congeriem, quibus omnibus unâ editis integra demum exstitit series didacalica. Quin immo haec series ipsa est quasi librorum familia, in quâ a primâ linguae materie per patrimonium bellê expositum traditumque ad fructûs ipsos ducimur libros scilicet liberê legendi. Cui rei magna auxiliorum copia inservit suppeditatque. Talibus libris tandem longê latêque divulgatis haec familia sub manibus Belgarum Bohemorum Hispanorum Italorum magistrorumque multorum ex Civitatibus Foederatis mirum in modum augeri coepit. Tali ac tanto operi ipse Ørbergius praefuit usque ad mortem, quae pro dolor nonagesimo anno aetatis eum his terris surripuit, iis prorsus temporibus, quibus quotannis plura dena milia discipulorum toto in terrarum orbe eius libris utuntur, immo, eo ipso anno, quo eius libri ac methodus scholis omnibus Italorum ab ipso rei publicae administro commendati sunt.

Nunc autem ad opus ipsum reverti liceat. Aperiamus ergo totius seriei primum volumen atque ingrediamur librum, in quo familia illa Romana habitat. ...

Eo tempore Theseus vir patriae amans atque gloriae cupidus Athenis vivebat. Qui nuper Athenas venerat neque ibi fuerat cum urbs a rēge Minoe expugnata est. Theseus, qui patrem Minotauri, taurum album, necaverat, novam gloriam quaerens Minotaurum ipsum quoque interficere constituit. Itaque unâ cum ceteris Atheniensibus navem vêlis atris ornatam conscendit et in Cretam profectus est. Ibi continuo regem Minoem adiit, qui eum in labyrinthum dūci iussit. Minos autem filiam virginem habebat, cui nomen erat Ariadna. Quae cum primum Theseum conspexit, eum amare coepit constituitque eum servare. “Contra Minotaurum ego tibi auxilium ferre non possum”. – “Ad pugnam paratus sum”. – “Sed quomodo exitum labyrinthi postea reperies? Ecce filum a Daedalo factum, quod tibi viam monstrabit. Auxilio huius fili huc ad me redibis”. Tum Theseus filum Ariadnae post se trahens labyrinthum intravit ac sine morâ Minotaurum in medio labyrintho exspectantem petivit, quem post brevem pugnam gladio occidit.

Hisce in libris, quibus index est “Lingua Latina per se illustrata”, methodus inductiva adhibetur. Quae quidem methodus iam apud humanistas vigeat atque maximê aestimabatur. Aetate renascentium litterarum, quâ humanistae floruerunt, discipulis innumera atque intricata praecepta grammatica inculcabantur, neque vero boni scriptores satis diligenter legebantur. Quod iure meritoque humanistae aegrê ferebant. Periculum enim erat, ne sermo Latinus obsolesceret atque corrumpereetur.

ERASMUS ROTERODAMUS (1465-1536)

»Ut huiusmodi praecepta fateor necessaria, ita velim esse quod fieri possit, quam paucissima modo sint optima«.

Post autem prima elementa tradita discipuli statim ad legendi, scribendi loquendique usum vocabantur.

ERASMUS ROTERODAMUS (1465-1536)

»Neque fuerit inutile ceu formas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conviviis ūti debeant«.

Hôc enim pacto, usu scilicet diutino et exercitatione, linguae notitia augetur, tamquam fit in aliis linguis discendis, iis imprimis, quae hodie vigent.

MARIA BERIZA GARCIA

«Cogitatio verborum et usus grammaticus debent cohaerere cum cognitionibus discipulorum. Ut Ørberg in suis libris procedit gradatim, ita nobis festinandum non est. Melius pauca legere et intellegere quam multa vertere».

«Non poteram verê loqui, quia ianua mentis erat clausa».

Prius volumen, quod *Familia Romana* inscribitur, fabulam continet, per quam a sententiis simplicioribus incipientes discipuli gradatim ad veram Latinitatem aut humilem quin etiam integram splendidamque adducuntur, donec ad ipsos auctores accedere parati sunt.

IOHANNES AMOS COMENIUS (1592-1670)

“Manifestum est Latinae linguae studium non ab integris completisque operibus et auctoribus auspicandum esse, sed a rudimentis et tirociniis quibusdam, quae ad maiora illa animos praedisponant ac praeparant».

Qui quidem auctores, cum in fine prioris voluminis tum in altero volumine, cui titulus *Roma aeterna*, discipulis proponuntur. Verba ignota resque obscuriores perspicuis adnotationibus atque imaginibus illustrantur. Hôc enim modo quaecumque legunt statim discipuli intellegunt neque necesse est Latina in patrium sermonem converti. Quamobrem “Lingua Latina per se illustrata” opus inscribitur.

DIALOGUS

“Marce, cur tu ianuam non pulsas, cum ad ludum venis, nec me salutas, cum me vides?”

“Ego ianuam non pulso, cum ad ludum venio, nec te saluto, cum te video, quia nec Festus nec Titus id facit”.

“Quid?”

“Vos ianuam non pulsatis, cum ad ludum venitis nec magistrum salutatis, cum me videtis. Auditisne id quod dico?”

“Quid?”

“Nos ianuam pulsamus, cum ad ludum venimus. Magistrum salutamus, cum eum videmus”.

“Id quod dicis verum non est”.

“Vos verum dicitis. Quod Marcus dicit non est verum. Discipulus improbus es, Marce! Necesse est te punire. Statim ad me veni!”

Quibus in operibus cum omnia verbis Latinis enodentur, discipuli iteratione ac repetitione melius faciliusque nova vocabula, iuncturas atque commissuras verborum memoriae mandant, linguae denique ipsam naturam atque indolem penitus cognoscere possunt.

IOHANNES STURM (1507-1589)

»Verum omnium nihil est, quod discipuli non Latino debent nominare nomine et verbo explicare Latino«.

Ipsis praeterea in paginarum marginibus quaedam etiam imagines apparent, quibus non modo vocabula, verum etiam integri textûs sensus patefit, totiusque fabulae argumentum identidem revocatur. Verba rebus coniungenda esse, hoc eminentissimus omnium praeceptorum repetere perseverabat.

ERASMUS ROTERODAMUS (1465-1536)

»Fabulas et apologos hîc discet libentius ac meminerit melius, si horum argumenta scitê depicta pueri oculis subiciantur. Et quidquid oratione narratur, in tabulâ demonstratur. Tabella habet elephantum, quem draco suo complexu stringit primoribus pedibus caudâ involutis. Admonebit praeceptor ingens animal a Graecis dici ‘elephas’. Latinê dicimus «elephantus, elephanti». Ostendet quam Graeci vocant *proboscida*, Latini *manum*. Ostendet dentes utrimque, unde ebur, quod apud divites in pretio est. Simulque profert pectinem eburneum. Illud quoque magni momenti est ad linguam quandam bene discendam, ut

nobis quam maximam copiam verborum comparemus. Quare priore volumine mille et quingenta vocabula continentur, altero vero verborum duo milia atque quingenta, quo frequentius apparent, eo facilius memoriae mandantur. Ad copiam verborum augendam praeterea adhibere licet paraphraseos exercitia atque multa quoque colloquia, quae innumeri humanistae magni nominis nobis abunde tradiderunt«.

IOHANNES VINCENTIUS GRAVINA (1664-1718)

»Discipulus ad scriptores est adducendus eique, ut nobis olim discentibus mos erat, praebendus imprimis Ludovici Vivis nitidissimus atque utilissimus Exercitationum Libellus. Ex quibus domestica et familiaria primum hauriantur atque cottidiana vocabula dicendique genera illa, quae in usu vitaeque frequentius occurrunt. Ita enim pueri notis in rebus materique sua intelligendi facilitatem invenient et simul cum delectatione utilitatem«.

DIALOGUS

“Age, Quinte! Ascende in arborem!”

“Age, veni, pater! – Quintus est mortuus!”

“O di boni! Quinte! Quinte! Quinte! Aperit oculos! Ergo vivus est“.

Familia Romana, cuius pater ac dominus *Iulius* vocatur, saeculo secundo post Christum natum fuisse narratur. Discipuli, qui hanc fabulam legunt, vocabula ad verborum crebriores iuncturas quodam in orationis contextu propriè positas multo iucundius libentiusque discere possunt quam aridis quibusdam ex tabulis, quas plerique eorum timent reformidantque.

ERASMUS ROTERODAMUS (1465-1536)

»Nonnulli litteratores, ut ostentent eruditionem suam, solent his pueris studiosè nonnihil difficultatis addere, quibus si commodiorem docendi viam, respondent se ad eum modum institutos nec patiuntur quicquam melius esse pueris quam quod ipsis pueris accidit. Vitanda est igitur omnis difficultas vel non necessaria vel intempestiva«.

Hôc opere Ørbergius linguam Latinam vult praeberere vivam ac vividam eiusque indolem patefacere. Huc accedit, quod in utroque in volumine etiam mores ostenduntur Romanorum, quo melius et res antiquae et scriptorum mentes intelligantur.

ANNE LLEWELLYN

Civitates Foederatae Americae Septentrionalis

»..... paene omnia vocabula ea, quibus fabellam Romanensem finxit, cautissimê et diligentissimê ex scriptoribus antiquis collegit. Sed discipuli, cum ea vocabula primo tempore vident et noscunt, ea non vident scripta in paginis cuiusdam gravissimi auctoris, sed in fabulâ levi et iucundâ et familiari et quam maximê cottidianâ«.

Secutus humanistarum consilia Ørbergius in fine cuiusque capituli proprietatibus verborum satis demonstratis praecipuas res grammaticas breviter ac dilucidê explanat. In Enchiridio discipulorum morphologia atque syntaxis fusius tractantur neque tamen discipuli rebus obscurioribus supervacaneis nimium onerantur.

ANNE LLEWELLYN

Civitates Foederatae Americae Septentrionalis

»Omnes linguae instrumenta sunt et neque viva neque mortua instrumenta esse possunt. Tunc quomodo oporteat linguas docere? Haec est quaestio. Et illi ego respondeam necesse esse linguas docere ut linguas. Est res simplicissima«.

ERASMUS ROTERODAMUS (1465-1536)

»Optima tantum primum ac simplicissima praecipienda sunt. Nunc quibus ambagibus ac difficultatibus excruciantur pueri! Dum ediscunt litterarum nomina, priusquam agnoscunt figuras, dum in nominum ac verborum inflexionibus coguntur ediscere, quot casibus, modis ac temporibus eadem vox respondeat!«

Exercitia praeterea loquendi ac scribendi etiam magni momenti esse ab his iisdem humanistis aestimabantur. Nam talia exercitamenta non modo ad discendam verborum compositionem, sed etiam ad ingenii celeritatem acuendam maximo usui sunt.

IOHANNES POSSELIUS (1565-1623)

»De exercitio Latinê loquendi hîc non dicam. Sciunt enim viri docti et sapientes et omnino necessarium esse et sine magno discentium incommodo negligi aut ommitti non posse«.

DIALOGUS

“Colone, huc accede! – Cur nondum solvisti mercedem, quam ter quaterve iam a te poposci? Octingentos sestertios mihi debes! Solve eos! – Audisne? Impero tibi, ut mercedem solvas! Quidni respondes?”

“Nulla est mihi pecunia. Ne assem quidem habeo”.

“Hîc et nunc mercedem solvis! Mercedem debitam solvis! Imperabo servis meis, ut tepellant! Iam tres menses exspecto, ut ea pecunia mihi solvatur! Etsi vir patiens sum, hic finis est patientiae meae!”

“Patientiam habe, domine! Noli me postulare, ut sanctum pecuniae solvam. Intra duos tresve menses omnia accipies. Noli me ... Octo liberi mihi sunt, quos ipse curare debeo“.

Neque tamen cogitemus oportet totam rem eo tantum spectare, ut discipuli Latinê loquantur. Ørbergius enim, sicut plurimi humanistae, viam stravit, quae necessario ad ipsos scriptores ducit.

PETRUS MOSELLANUS (1493-1524)

»Iam si quis est, qui vehementer putet indignum has - sicut primâ fronte videntur - nugas in chartarum perniciem scribi, cogitet iam primum sibi Latini sermonis usum descendum. Statim, opinor, videbit, quam facile et nullo paene negotio per eiusmodi fabulas velut quosdam gradûs a Terentii proprietatem ad Ciceronianam facilitatem prima illa aetas duci possit«.

Discipuli igitur ad eos accedant, cum iis colloquantur, ex iis Latinê neque grammaticê loqui et cogitare discant.

IACOBUS FACCIOLATI (1682-1769)

»Si quod valeo, qui valeo sanê minimum, totum Ciceroni, Terentio, Livio, Vergilio, Horatio, ceterisque eiusdem aetatis scriptoribus elegantissimis debeo«.

MARIA BERICA GARCIA**Italia**

»...si veniunt(?) ad finem *Familiae Romanae*, volunt cum discipulis suis quam primum auctores ipsos aggredi. Discipuli cognoscunt circiter mille ac quingenta vocabula et cognoscunt quoque rudimenta verborum optimis(?)«.

GEORGIUS ČEPELÁK**Bohemia**

»Velim hâc pelliculâ gratias agere *Iohanni Ørberg* pro op(er)e, quo nobis linguam Latinam tradendam multo iucundiolem et methodo multo efficaciolem praebuit«.

DIALOGUS DISCIPULI MAGISTRIQUE

“*Domine, quid hoc sibi vult?* “

“Significat id quod declaratur: Mensa – *a table*. Mensa est nomen primae declinationis. Declinationes nominum sunt quinque. Iam didicisti declinationis primae”.

“*Sed*” inquam, “*quidnam significat?*” –

“Mensa significat ‘a table’ respondit ille”.

“*Sed cur mensa significat ‘a table’?*” perrexi. – “*Et quid significat O table?*“

“Mensa, *O table*, est casus vocativus“.

“*Sed cur ‘O table’?*” perrexi sincero studio.

“*O table* – ita dixeris in mensâ appellandâ”.

“*Et videns me parum intellegere...*”


“Ita dixeris cum mensam alloqueris”.

“At numquam id facio!” exclamavi verê stupefactus.

“Si insolens es, poenas dabis, et, mihi crede, poenas severissimas!”

Hac admonitione factâ me dimisit.

Scriptores classicos, qui vocantur, sic aggressus sum, ex quibus sollertissimus quisque maximum cepisse solamen fructusque uberrimos carpsisse dicitur.



IN MEMORIAM IOHANNIS ØRBERGII (1920-2010)

<https://www.youtube.com/watch?v=iFKbhqTPjQ>

vivariumnovum YouTube - 01.07.2011

TEXTUS SUPRA SCRIPTUS
CINEMATUMQUE INTERRETIALE

CUI INEST

COMPOSITA SUNT

A COOPERATORIBUS

VIVARII NOVI

SCHOLAE VERE UNICAE ET SINGULARIS,

CUI PRAEEST

Luigi Miraglia

ITALUS INGENIOSUS.

IN VIVARIO NOVO

ALUMNI ACADEMICI
EX PERMULNIS NATIONIBUS ORBIS TERRARUM
ORIUNDI

LINGUAS LATINAM ET PALAEOGRAECAM

DISCUNT

METHODO NATURALI

QUAM INVENIT

Hans Henning Ørberg

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDEOCTOGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 21. m.Oct. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>